

illâ esse debet. Quare ad verum cognoscendum Logica etiam ultimò conferet, tanquam ad finem ultimum. Est quoque Logicæ finis totalis & adæquatus tradere modum bene disferendi; quia omnia & singula præcepta huc colli- neant, non aliter atque omnes lineæ ad centrum in aliquo circulo. Hinc Molinæus *lib. 2. Logic. cap. 2.* ait: *Media nobis, tota Philosophia suggerit: Logica verò tradit non ipsa media, sed modum ea quærendi & discernendi.* Cum hâc sententiâ pugnare videntur ea, quæ paulò antè diximus de formali ratione subjecti, quòd sit modus bene disferendi. Si enim hæc est forma, non erit finis. Sed duobus modis responde- ri potest. 1. Aliud est modus bene disferendi, aliud trade- re istum modum. Modus ille est finis objectivus: traditio modi est finis formalis. Terminos hos vide infrà explicatos. 2. Sæpe finis ingreditur essendi rationem, in instrumentis & institutis divinis & humanis, ut suo loco dicemus. Lo- gica autem instrumentum est. Si dicas, Logicam hâc ratio- ne non esse partem Philosophiæ, cùm sit instrumentum, di- cam ego instrumentum diverso respectu esse partem; præ- fertim si instrumentum sit *ἐνυπὸς αἴθρῳ*, uti est manus; item intellectuale, quale est Logica. Nunc ad distributionem Lo- gices accedamus.

Logicæ partes duæ sunt; una generalis, altera Logicæ dis-
tributio.
specialis. *Illa communis, hæc particularis dici potest.*

Innumeræ circumferuntur distributiones Logicæ, è qui- bus hanc unicam probamus, quæ est distributio integri, seu totius integralis in sua membra, non generis in species. Nam Logica Systematica est species infima, ideoque non debet distribui ut genus. Cæterùm fundamentum propositæ dis- tributionis hoc syllogismo continetur: Sicut secatur mo- dus disferendi, sic & Logica secari debet. At modus disfe- rendi duas in partes secatur. Ergò. Major sic probatur. Distributio disciplinæ sumitur quàm rectissimè à subjecto tractationis adæquato, & fine proximo. *Εὐδηλον.* Minor est clara. Etenim modus disferendi consideratur primùm in genere, dehinc in specie. Hoc docent patres Conimbricen- tes in *append. quest. Dial. proæmial.* hæc in verba: *Cùm pro- prium & adæquatum subjectum Dialecticæ sit modus bene*